

hostium caesum tradunt, alii cum paucis in propinquam
 castris turrim perfugisse; hanc igni circumdatam atque ita
 exustis foribus, quas nulla moliri potuerant ui, captam
 14 omnesque intus cum ipso imperatore occisos. Anno octauo
 postquam in Hispaniam uenerat, Cn. Scipio undetricesimo
 die post fratris mortem est interfectus. Luctus ex morte
 eorum non Romae maior quam per totam Hispaniam fuit;
 15 quin apud ciues partem doloris et exercitus amissi et alienata
 16 prouincia et publica trahebat clades; Hispaniae ipsos luge-
 bant desiderabantque duces, Gnaeum magis, quod diutius
 praefuerat iis priorque et fauorem occupauerat et specimen
 iustitiae temperantiaeque Romanae primus dederat.

37 Cum deleti exercitus amissaeque Hispaniae uiderentur,
 2 uir unus res perditas restituit. Erat in exercitu L. Marcius
 Septimi filius, eques Romanus, impiger iuuenis animique et
 ingenii aliquanto quam pro fortuna in qua erat natus maioris.
 3 Ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina,
 sub qua per tot annos omnes militiae artes edoctus fuerat.
 4 (Is) et ex fuga collectis militibus et quibusdam de praesidiis
 deductis haud contemnendum exercitum fecerat iunxeratque
 5 cum Ti. Fonteio, P. Scipionis legato. Sed tantum praestitit
 eques Romanus auctoritate inter milites atque honore, ut
 castris citra Hiberum communitis cum ducem exercitus
 6 comitiis militaribus creari placuisset, subeuntes alii aliis in